


CANCEL:
MARTIS B:
1717:




*

Zu 08

Sc





A. & D.
DE
FORTVNA POPVLI
ROMANI

CONSENSV INCLVTI PHILOSO-
PHORVM COLLEGII

SVB PRÆSIDIO

M. PHILIPPI OLEARII,
S. THEOL. BACCAL. ET COLLEGII PHILOS.
ASSESSORIS,

IN ACADEMIA PATRIA

PVBLICE DISSERT

IOH. AVGVSTVS NEVBER, LIPSIENS.

PHILOS. ET IVRISVTRIVSQVE CVLTOR.

AD D. XIV. IANVAR.

LIPSIÆ,
LITERIS IMMANVELIS TITII.
c15 Idcc XIII.

ILLVSTRISSIMO ATOVE EXCELLEN-
TISSIMO

DOMINO
DOMINO VOLDEMARO
LIBERO BARONI
DE LOEWENDAL

ILLVSTRISS. ORDINIS ELEPHANTINI
EQVITI AVRATO

DYNASTAE IN ELSTERWERDA, KOTSKA
KRAVSCHIZ ET HELTORFF

SACR. REG. MAIESTATIS POLONIARVM
ET ELECTORIS SAXON.

SVPREMO AVLAE MARESCHALLO
STATVS MINISTRO

ET IN CONCLAVI INTERIORE CONSILIARIO
PRIMARIO

CONSILII REDITVVM ET RERVM METALLICARVM

IN ELECTORATV SAXONIAE
PRAESIDI ET DIRECTORI SVMMO

DOMINO SVO GRATIOSISSIMO.

ILLVSTRISSIME EXCELLENTISSI-
MEQVE DOMINE

DOMINE GRATIOSISSIME.



*Ermittat Illustrissima
EXCELLENTIA
TVA, vt deuotissi-
mam erga TE obser-
uantiam testaturus,
omni posteritati suspi-
ciendum Nomen Tu-
um, leuidensi huic dis-
sertationi inscribam. Quamuis enim mihi
non lateat, hoc genus scripturae Heroica
Tua virtute, qua omnium oculos praestrin-
gis, non satis dignum esse: cum aliam
tamen*

tamen viam mihi non esse relictam sentirem, qua gratissimum animum pro insigni gratia in me indignum collata in diem proferre valeam; vel hac ratione summae meae pietatis & incredibilis erga TVAM EXCELLENTIAM obseruantiae pignus extare volui. Quemadmodum enim DEUS optimus Maximus non tam accuratis adorantium precibus, quam innocentia & sanctitate, laetatur: ita me certissima spes alit, fore, vt Illustrissima TVA EXCELLENTIA, quae diuinas virtutes in omni vita mirum in modum exprimit, ingenui pectoris candorem gratiosè respiciat. Quo accedit, quod, quamuis perpetuis curis pro salute plurium regnorum & provinciarum distineare, MAECENAS SVMME, nihilominus tamen magnam & excelsam mentem ad literas earumque Cultores demittas, eosdemque gratioso fauore complectaris & foueas.

Accipe

*Accipe ergo, ILLVSTRISSIME HE-
ROS, hoc quaecumque deuotae mentis do-
cumentum serena fronte, & Tua gratia,
quam vnice exopto, meam Tenuitatem por-
ro beare haud dedigneris. Quod reliquum
est, supremum Numen deuota mente sem-
per venerabor, vt felicitati Illustrissimae
EXCELLENTIAE TVAE & Illu-
strissimae DOMVS addat perpetuita-
tem!*

ILLVSTRISSIMAE EXCEL-
LENTIAE TVAE

*scribeb. Lipsiae
mense Ianuario c1o 16ccxiii.*

deuotissimus

M. PHILIPPVS OLEARIVS.



INGRESSVS.



Vm de *Fortuna Populi Ro-*
mani acturi simus, ante
omnia Lectorem beneuo-
lum, vt de instituto no-
stro paulo luculentius ei
constet, monendum esse
existimamus: duo hic no-
bis proposita esse; primo quidem animus
fert de fortuna populi Romani in genere
dicere, & hac occasione inprimis de vexa-
tissima illa quaestione, quam tum apud
Graecos tum Latinos Scriptores in vtram-
que partem disputari videas, an scilicet plus
Fortunae an *Virtuti* in condendo hoc ma-
gno imperio plus tribuendum sit, animi no-
stri sententiam aperire? Deinceps vero, quo-
niam ipsi Romani Fortunam crebro in ore
calamoque habebant, vt ex locis infra alle-
gandis patebit, & quoniam ei praecipuum

A 2

quo-

que cultum in Rep. sua deferebant, secundo loco nos operae pretium facturos esse nobis persuasimus, si paulo penitius inquireremus, quidnam per hanc Fortunam, cuius saepissime Auctores mentionem faciunt, potissimum intellexerint. Deus faxit feliciter!

§. I.



L. Annaeus
Florus in
praefat.

Opulum Romanum tot laboribus periculisque iactatum esse, ut ad constituendum eius imperium contendisse VIRTUS & FORTUNA videantur, pulcherrimum iuxta atque verissimum L. Annaei Flori effatum est, in quo sane quam optime ea coniungit, quae alii

Scriptores magna alioquin auctoritate pollentes a se inuicem distraxere. Hic enim in diuersas omnino partes Auctores abire videas, quorum alii omnia virtuti alii vero omnia vel saltem plurima Fortunae in recensendis magnitudinis Romanae causis tribuere haud dubitant.

Liuius in praefat. Hist. Rom.

Ad priorem classem iure merito Liuium referas, ut qui non tantum in lectione Historiae Romanae ad illa quemque acriter intendere animum iubeat, *quae vita, qui mores fuerint: per quos Viros, quibusque artibus, domi militiaeque, & partum & auctum imperium sit;* Verum etiam paulo post haec verba subiungat: *Nullam vnquam Remp. nec maiorem, nec sanctiorem, nec bonis exemplis ditio- rem fuisse; nec in quam tam serae auaritia luxuriaque immigrauerint;*

runt; nec ubi tantus ac tam diu paupertati ac parsimoniae bonos fuerit. Nec tantum Liuius huic sententiae fauet, sed etiam Polybius per totam fere suam historiam ostendere conatur, Romanos plus *virtuti* omnino quam *Fortunae* debere. Quae ipsa causa Ammianum Marcellinum induxisse videtur, ut Romam *virtutum omnium domicilium* appellaret. In contrariam autem sententiam, ut iam alios taceamus, Plutarchus post disputationem in utramque partem institutam ingredi videtur, qui peculiarem libellum de *Fortuna Romanorum* literis consignavit, in quo nil aliud fere agit, quam ut ex historiarum monumentis varia colligat exempla, ex quibus elucescat, omnino *Fortunae* quoque Remp. Romanam quam plurima in acceptis referre debuisse. Ipsa Plutarchi verba hoc inuentia ita se habent: τοῖς πολέμοις πολλὴν τόλμαν καὶ ἀνδρείαν αἰδῶ τε συνεργῶν; ἀρετὰς δεξιμάχε, ὡς Φησι Τιμόθεος, τίς ἐκ αὐτῶν ὁμολογήσειεν; ἢ δὲ εὐροια τῶν πραγμάτων καὶ τὸ ἕξιον τῆς εἰς τοσαύτην δύναμιν καὶ αὐξήσιν ὁρμῆς, ἢ χερσὶν ἀνθρώπων ἐδὲ ὀσμῆς προσχωρῆσαν ἡγεμονίαν, θεία δὲ πεμπτή καὶ πνεύματι τυχῆς ἐπιταχυνόμενης, ἐπιδεικνύει τοῖς θεοῦ λογισμένοις. i. e. *Quis vero non fateatur ad bellum requiri multum audaciae ac fortitudinis, quae virtuti bastiferae, ut Timotheus ait, auxilium & opem ferat? Et tamen qui recte ratiocinari volet, is secundam rerum prosperarum affluentiam, impetumque ad tantam potentiam & incrementa, non hominum manibus aut consiliis, sed diuina quadam incitatione & accelerantis FORTVNAE vento ad tantam Romani imperii molem peruenisse intelliget.*

§. II. Quamuis igitur nemo temere incicias iuerit, omnino insignem fuisse Romanorum *virtutem*, quae in condendo hoc maximo imperio egregias prorsus & prae-

Ammian. Marcellin. L. XIV. p. 16.

Plutarch. de fortuna Romanor. T. II. p. m. 313.

I. IV de ma-
gnit. vrbis
Romae.

claras admodum operas praestitit, quemadmodum nemi-
nem, qui vel primis saltem labris historiae Romanae mo-
nimenta degustavit, fugere poterit, & cuius *virtutis* illu-
strissima exempla Doctissimus Lipsius collegit: tantum
tamen abest, ut omnia, quae in hac Rep. gesta fuerunt, eo-
rum *virtuti* adscribere valeamus, ut eorum potius senten-
tiae subscribamus, qui soli *Fortunae* saepius tribuendum
esse existimant, quo minus Res Romana penitus eversa at-
que pessundata fuerit. Quod ut vel vnico exemplo mani-
festum faciamus, sane nemo diffiteri potest, *virtuti* Roma-
norum nullum locum fuisse neque eandem obtitisse, quo
minus post pugnam Cannensem Hannibal recta Romam
peteret, sed *fortunam* siue *Providentiam* Dei, siquidem
nos Christiani per hoc vocabulum nil aliud intelligamus,
menti Hannibalis caliginem offudisse eidemque moras in-
ieicisse, quo minus victoria vsus Romam peteret. Etenim

Florus l. II, c. 6. alioquin *dubium non erat*, inquit Florus, *quin vltimum*
illum diem habitura fuerit Roma, quintumque intra diem
pulari Annibal in Capitolio potuerit, si (quod Poenum illum
dixisse Adherbalem Bomilcaris ferunt) Annibal, quemadmo-
dum sciret vincere, sic vti victoria scisset. Tum quidem il-
lum, ut dici vulgo solet, aut FATVM vrbis imperaturae, aut
ipsius MENS mala, & AVERSI a Carthagine Dii in diuer-

Plat. l. c.
p. 316.

sus *abstulerunt*. Iure merito igitur ἐγὼ δὲ, inquit Plu-
tarchus, ὅτι μὲν εἰ καὶ πᾶν πρὸς ἀλλήλους αἰεὶ πολεμῶσι καὶ
διαφροσίνῃ τύχῃ καὶ ἀρετῇ, πρὸς γε τηλικαύτην σύμπληξιν ἀρ-
χῆς καὶ δυνάμεως εἰνός ἐστιν αἰτιάς σπειραμένως συνελθεῖν, καὶ
συνελθόντας ἐπιτελεῶσαι καὶ συναπεργάζασθαι τῶν ἀνδραπί-
νων ἔργων τὸ κάλλιστον, ὁρῶνς ὑπονοεῖν ἰσχυροὺς καὶ νομίζω, καθά-
περ Πλάτων Φησὶν ἐν πύρρῳ καὶ γῆς, ὡς ἀνοσμηκίων τε καὶ πρῶ-
των, γεγονέναι τὸν σύμπαντα κόσμον, ἵνα προσάρατός τε γένηται,
καὶ

καὶ ἀπὸς ἑτῶς ἀρεῶν καὶ ὁ τὴν Ρώμην ὑποβαλλόμενος χροῶν
 μετὰ Θεῶν τύχην καὶ ἀρετὴν ἐκέρχασε καὶ συνέχευεν, ἵνα ἐκατέ-
 ρους λαβῶν τὸ ἴμεῖον, ἀπεργάσῃται πᾶσιν ἀνθρώποις ἐς τὴν ἰε-
 ροῦν &c. i. c. *Equidem hoc me recte opinor censere, FORTV-
 NAM & VIRTUTEM, tametsi maxima & continentia in-
 ter se gerunt bella; tamen ad tanti compagem imperii atque
 potentiae tantae structuram pace composita coiuisse, huma-
 norumque operum pulcherrimum communicatis operis absol-
 visse. Plato affirmat, ex igni & terra ut necessariis primis-
 que vniuersum mundum coaluisse, ita ut & videri posset &
 tangi. Sic vti que quod fundamenta Romae iecit Tempus
 cum Deo, FORTVNAM & VIRTUTEM coniunxit atque com-
 miscuit, ut veriusque proprias facultates adhibens omnibus
 hominibus conficeret Vestam reuera sacram &c.*

§. III. Hic autem forsitan quis dixerit, hanc ipsam Ro-
 manorum virtutem & morum honestatem singularemque
 vitae probitatem summum Deum, cuius nutu & arbitrio
 omnia geruntur, permouisse, ut egregiam fortunam
 comitari eandem iusserit, ita ut ipsos a vi illata contra
 quoscunque hostes defenderet & quaevis pericula eis in-
 tentata, quae saepe interitum toti Reip. afferre posse vi-
 debantur, potenter propulsaret, qua ratione omnino Vir-
 tuti Romanorum magnitudo huius imperii eiusdemque
 incrementa tandem imputanda essent. & profecto non
 solum iam supra Livium iustitiam & sanctitatem huius
 gentis praedicantem audiuius, sed hoc idem multos alios
 fecisse in lectione Auctorum deprehendimus. *Quantum enim Graeci praeceptis praeualebant, inquit Quintil.* Inf. Or. XII. 2.
tantum Romani, quod maius erat exemplis. Id quod quo-
 ad singulas fere virtutes ut iustitiam atque Clementiam in
 bello, fortitudinem, pietatem, probitatem atque con-
 stan-

L.IV. de magn.
Roman.

de Civ. Dei
l. 5. c. 12.

stantiam &c. multis locis Auctorum veterum comprobari posset, nisi hac quoque ex parte doctissimus Lipsius nobis otium fecisset. Quod ipsum Augustinum induxisse videtur, ut Romanorum virtutes remunerandi causa Deum tantum ipsis imperium concessisse asserat. Sed facturi operæ pretium sumus, si ipsius Augustini verba perceperimus: *Proinde videamus, inquit, quos Romanorum mores & quam ob causam Deus verus ad augendum imperium adiuuare dignatus est, in cuius potestate sunt etiam regna terrena. Veteres igitur primique Romani, quantum eorum docet & commendat Historia, quamvis ut aliae gentes, excepta una populi Hebraeorum Deos falsos colerent, & non DEO victimas sed Daemoniis immolarent, tamen laudis avidi, pecuniae liberales erant, gloriam ingentem, divitias honestas volebant: hanc ardentissime dilexerunt, propter hanc vivere voluerunt, pro hac & mori non dubitauerunt. Ceteras cupiditates huius unius cupiditate prefferunt. Cui discursui hunc denique finem imponit Augustinus: Quamobrem latitudine & magnitudine illustrissimum imperium TALIBVS potissimum CONCESSIT hominibus ad domanda grauia mala multarum gentium, qui causa honoris laudis & gloriae consulere Patriae, in qua ipsam gloriam requirebant, salutemque eius saluti suae praeponere non dubitarent: pro isto uno vitio, id est, amore laudis, pecuniae cupiditatem & multa alia vitia comprimentes.*

§. IV. Quicquid vero hic dicat Augustinus, nobis persuadere non possumus, Deum vitia & prauas cupiditates, quibus ambitionem quoque & gloriae cupiditatem in primis annumerandam esse ipse Augustinus dissimulare non potest, remunerari & hoc ipso approbare. Sane haec philosophandi ratio fere ad illam Iulii Caesaris accedere

dere videtur, qua utebatur illud tritum in ore calamo-
 que crebro habens: *Si ius violandum est, regnandi gratia,*
violandum est, ceteris rebus pietatem colas. Ambitio certe
 est unum ex primariis vitiis, quae terras turbine perflant, &
 unde tot infinita mala in genus humanum redundauerunt
 & adhuc redundant. Hoc malum ambitionis & arro-
 gantiae aequae ac carnis & oculorum cupiditatem canae ac
 angue peius nobis fugiendum esse, Spiritus S. disertis verbis
 docet. Hinc ipse Augustinus ea, quae in hoc capite dixit,
 in sequentibus fere retractare videtur, dum agnoscit,
 eum sanius videre, qui & amorem laudis vitium esse agno-
 scit, id quod paganos quoque agnovisse licet diuina reue-
 lationis luce destitutos ex testimoniis ab ipso Augustino
 ibidem allegatis abunde patet. Vbi tamen magnus ille
 Pater iterum gravissime impingit, dum existimat, eos,
 qui turpiores libidines non quidem fide pietatis impetrato
 Spiritu sancto & amore intelligibilis pulchritudinis, sed
 tamen saltem cupiditate humanae laudis & gloriae refrac-
 nant, non quidem iam sanctos, sed minus turpes esse.
 Equidem si Augustinus dixisset, huiusmodi homines co-
 ram mundo pro minus turpibus haberi, tum pedibus in
 eius sententiam discederemus, cum experientia satis do-
 ceat, ambitiosos plerumque magnam sibi famam & opini-
 onem apud vulgus acquirere. Quod vero reapse minus
 turpes sint, illud neutiquam concedere possumus, cum
 ambitio aequae sit opus carnis ac voluptas, & ille qui fastu
 turget aequae sit Deo inuisus ac libidini & voluptati deditus.
 Fingamus exempli gratia consummatissimum, ut loqui
 amant, vel in Ecclesia vel in Republica Virum, qui praecla-
 ris meritis magnam sibi undique circumposuit glori-
 am, si omnia ad ambitionem suam referat, & nil aliud in-

tendat, quam ut in signis Vir & lumen mundi audiat, hunc
 aeque turpem atque Deo aeque abominabilem esse quam
 libidini vel aliis pravis voluptatibus indulgentem existi-
 mem. Hoc igitur ratum sit, vitiiis per vitia medelam non
 esse afferendam, neque ambitionem alendam & excitan-
 dam esse, ut alia mentis *ἀρρώστια* pellantur. Alias e-
 nim eidem labyrintho implicabimur, cui illi, qui dicunt,
Faciamus mala ut inde eveniant bona.

§. V. Si vero quis dixerit, non ambitionem sed iu-
 stitiam, probitatem, constantiam, aliasque virtutes Roma-
 norum Deum respicientem eorum armis prosperum suc-
 cessum indulsisse, quemadmodum Lipsius asserit, Romanos
 semper (certe vsque ad Syllam) duplici hoc titulo vsos fuisse,
 ut aut pro SALUTE arma caperent aut pro FI-
 DE. Pro illa, ubi res ipsorum ageretur, pro ista
 ubi sociorum. Quam meliorem causam ipse quo-
 que Augustinus alibi allegat: *Sed plane, inquit, pro tantis
 bellis susceptis & gestis IVSTA DEFENSIO Romanorum est:
 quod irruentibus sibi importune inimicis resistere cogebat,
 non aviditas adipiscendae laudis humanae, sed necessitas tuen-
 dae salutis & libertatis. Ita sit plane. Nam postquam res
 eorum, sicut scribit Sallustius, legibus, moribus, agris aucta,
 satis prospera, satisque pollens videbatur, sicut pleraque mor-
 talium habentur, invidia ex Opulentia orta est. Igitur
 Reges populique finitimi Bello eos tentare, pauci ex amicis
 auxilio esse. Nam ceteri metu percussi procul a periculis ab-
 erant. At Romani domi militumque intenti, festinare, para-
 re, alius alium hortari, hostibus obviam ire, libertatem, pa-
 rentesque armis tegere. Post ubi pericula virtute propule-
 runt, sociis atque amicis auxilia portabant; magisque do-
 nandis quam accipiendis beneficiis amicitias parabant. De-
 center*

Lipfius de ma-
 gnit. Rom.
 l. IV.

Augustin. de
 Civ. Dei l. III.
 c. 10.

center his artibus ROMA CREVIT, & adhuc alio loco idem Augustinus de Mercede temporali, quam Deus Bonis Romanorum moribus reddidit, ita loquitur: *Quibus ergo non erat Deus daturus vitam aeternam cum sanctis Angelis suis in civitate sua coelesti, ad cuius societatem pietas vera perducit, quae non exhibet servitutem Religionis, quam ἰατρική Graeci vocant, nisi vni vero Deo: si neque hanc eis terrenam gloriam excellentissimi Imperii concederet, non redderetur merces bonis artibus eorum, hoc est virtutibus quibus ad tantam gloriam peruenire nitabantur. De talibus enim, qui propter hoc boni aliquid facere videntur, ut glorificentur ab hominibus, etiam Dominus ait: Amen dico vobis, perceperunt mercedem suam. Sic & isti privatas res suas pro re communi, hoc est, pro Rep. & pro eius aulario contulerunt, avaritiae resisterunt, consulere patriae consilio libero: neque delicto secundum suas leges, neque libidini obnoxii: his omnibus artibus tanquam vera via nisi sunt ad honores, imperium, gloriam; honorati sunt ab omnibus fere gentibus, Imperii sui leges imposuerunt multis gentibus: hodieque literis & historia gloriosi sunt pene in omnibus gentibus. Non est quod de summi ac veri Dei iustitia conquerantur, Perceperunt mercedem suam. Quamvis vero ut iam diximus haec causa paulo speciosior esse videatur ea, quam supra ex Augustino adduximus & refutauimus: primo tamen ^{μὲν γὰρ ἴσταν ἀδίκημα} est, an illae virtutes Romanorum tanti momenti fuerint. Quemadmodum enim non defunt, qui iustitiam in illis laudauerint, ita vicissim non defunt, qui iniustitiam eorum maximopere vituperauerint. Certe mihi semper mirifice placuerunt verba Alberici Gentilis: Nos in ultimo temporum positi, inquentis, mala Romanorum scire non possumus, nisi per eos, qui laudauere Ro-*

I. V. de Ciu.
Dei c. XV.

L. c. VII. p. 41.
de armis Roman.

manos, sed intelligimus tamen, quam valde multa iniusta fuerint Romanorum facta, qui videmus emanasse non pauca iniustissima in tanto studio laudandi. Quin etiam pleraque Romanorum bella longe iniustissima & latrociniiis quibusvis multum fuisse execrabiliora, prolixè demonstrat Celeberrimus Dominus Buddeus, in Specimine Iurisprudentiae Historicae, quo lectorem nostrum iam delegamus. Ac eandem ob causam nobis haud displicet Commentatio Gregorii Arimin. ad locum Augustini proxime a nobis allegatum, vbi disputat nullas fuisse virtutes vel bona opera etiam moraliter digna aliquo praemio in Romanis & citans iam dictum locum Augustini: *Nulum peccatum, inquit, est meritorium alicuius praemii, sed tantum poenae: sed indirectè & per accidens aliquando praemiatur, scilicet cum quis intuitu finis alicuius obtinendi aliquem actum exercet, & illum finem Deus illi confert, tunc talis finis potest dici praemium, secundum intentionem operantis, qui ipsum pro praemio intendebat. Non tamen semper est finis respectu Dei conferentis, qui aliquando pro praemio non confert, imo forte pro poena, aut aliqua alia causa sibi nota, nobis ignota. Hic Romanis gloria imperii a Deo concessa dicitur merces actuum suorum apud Augustinum, non quod pro illis praemiandis data sit, sed quod ab illis pro suis actibus tanquam merces quaerebatur. Sicut de hypocritis dicitur a Salvatore: Receperunt mercedem suam, quam scilicet intendebant. Quanquam haec verba eatenus tantum approbemus, quatenus de Romanis solo ambitionis studio actis intelliguntur, cum alias paulo durius assertum esse videatur nullam profus virtutem moralem in Romanis fuisse. Nemini ergo dubium esse potest, multas alias causas quam virtutes Romanorum*

for-

forſitan fuiſſe, quae Deum permouerunt, vt iis tantam imperii amplitudinem concederet. Nolumus quidem illas iam curiosius rimari, ſed ſperamus, nihil abſurdi fore, ſi diceremus, Deum arma Romanorum ceu inſtrumenta adhibuiſſe, quibus in ſcleribus atque flagitiis aliarum gentium debitis poenis afficiendis vteretur. Quemadmodum ſic opera Nabuchodonoforis ad Remp. Iudaicam euertendam Deum vſum fuiſſe Sacra Scriptura teſtatur, cui tamen poſtea vel ob hoc ipſum maximas irrogabat poenas. Et hunc morem hoſque animaduerſionum publicarum veluti ritus Deo eſſe, non tantum Hiſtoria vniuerſa ſacra ac diuini vates locis pene infinitis nos docent; ſed neque ipſis ſcriptoribus paganis iſta Dei ratio modusque procedendi latuit, id quod vel ex Euripidis Scholiaſte patet, cuius verba hic ſubiicere haud abs re fuerit. *Traditur quod terra grauata multitudine hominum precata ſit Iouem, vt pondus ipſius leuius faceret: Iouem in eius gratiam excitaffe Thebanum atque Iliacum bellum, quo plurimis e diuis ſublatis terrae ſubleuatio fieret &c.* Leo autem hanc rationem reddit, cur Deus tantum imperium Romanis dederit, vt ſcilicet per vnionem omnium gentium ſub vno principatu pararetur via Evangelicae praedicationi. Vt iam breuitati ſtudentes multas alias cauſas, quarum etiam forſitan plurimae nobis latent, ſilentio praetereamus; plures interea ſi lubet, videri poterunt in Cl. Wilckii diſſertatione de Cura Dei circa Rem Romanam Anno 1690. in Academia noſtra ventilata.

Oreſt. 1643.

§ 22. ſq9.

§. VI. Hinc ingenue fatemur, nos magis ad eorum ſententiam propendere, qui plus *Fortunae* quam *virtuti* Romanorum in condendo hoc imperio tribuunt, id quod

Florus l. i. c. 8.

Cic. pro lege
Mānil. c. 16.

Augustin. de
Ciu. Dei l. V.
c. 1.

prudētissimi quique Romanorum ipsi agnoverunt, qui hoc ipsum, quod tot egregios Viros Roma protulisset, vel *fato* vel *fortunaē* adscribunt. Sic enim Florus statim prima aetate populi Romani & quasi infantia, quam habuit sub Regibus septem, quadam FATORVM industria tam varios ingenio Romae obtigisse, ut reip. Ratio & utilitas postulabat. Quin etiam agnouerunt, maximos quoque Viros sine diuinitus adiuncta *Fortuna* nihil perficere posse.

Ego enim sic existimo, inquit Tullius, *Maximo, Marcello, Scipioni, Mario & ceteris magnis Imperatoribus, non solum propter Virtutem, sed etiam propter Fortunam, saepius imperia mandata, atque exercitus esse commissos. Fuit enim profecto quibusdam summis viris quaedam ad amplitudinem, & gloriam, & ad res magnas bene gerendas diuinitus adiuncta FORTVNA.* Vbi notatu dignum est, quod Cicero vocet *diuinitus adiunctam fortunam*, nec enim eate- nus sentimus hac ex parte cum paganis, quando haec *Fato & Fortunae* adscribunt, quatenus sensu Stoicorum *factum* significat nexum causarum latentium & multo ante destinatarum, quae suum quaeque ordinem immutabili lege percurrunt, vel quatenus *Fortuna* significat subitum, inopinatum ac fortuitum eventum, sed eo sensu, quo accipitur ab Augustino in hisce verbis: *Proxus diuina prouidentia regna constituuntur (& administrantur) humana.*

Quae si propterea quisquam fato tribuit, quia ipsam Dei voluntatem vel potestatem fati nomine appellat, sententiam teneat, linguam corrigat. Quo sensu ipse Spiritus S. sententiam hanc approbat, siquidem sapientissimus Regum Salomon dicat Eccl. IX, 11: שְׁבִית וְרָאָה תַּחַת-הַשָּׁמַיִם כִּי לֹא לְקַלִּים חִמְרוֹן וְלֹא לְגִבּוֹרִים הִמְלַחְמָה וְגַם לֹא לְחַכְמִים לֶחֶם וְגַם לֹא לְגִבְנִים עֶשֶׂר וְגַם

וְכֵן לֵךְ לִיְיָעִים הֵן כִּי עֵרַת וּפְנֵעַ יִקְרָה
 : וְכֵן כִּי יִשְׁעֵי i.e. *Rursum video sub sole, nihil nec celeri-
 tatem ad cursum conferre, nec fortitudinem ad bellum, nec
 sapientiam ad victum, nec prudentiam ad diuitias, nec
 scientiam ad gratiam comparandam, sed TEMPVS
 & FORTVNAM omnibus interuenire.* Quibus ver-
 bis Hieronymus aliique doctissimi interpretes nos admo-
 neri innuunt, ne nobis nostrisue viribus attribuamus sa-
 pientiam & virtutes, ne nimium praefidamus ignari, quis
 nos exitus maneat. Pendendum a Deo, qui omnia tem-
 perat regitque, prout quam optime iudicat conuenire.
 Qua occasione simul obseruamus, Scripturam S. non ae-
 que a vocibus hisce CASVS & FORTVNA abhorrere
 ac Patres nonnullos, qui hasce voces, quoniam videntur
 officere providentiae diuinae, ex Scholis Christianorum
 eorumque Scriptis penitus eliminandas esse censent, qua
 de re inprimis Lactantius & Augustinus legi possunt.
 Quamuis autem cum Gregorio Nazianzeno lubenter fa-
 teamur: *Non parum interesse ad Christianam pietatem &
 doctrinam quibus verbis utamur, & quamuis iudice Tho-
 ma cum infidelibus nec nomina debeamus habere commu-
 nia, ne ex consortio nominum possit sumi erroris occasio.*
 Eo tamen vsque non esse procedendum, vt vocabula, qui-
 bus ipse Spiritus S. vti non dubitavit, prorsus repudiemus,
 quin potius eadem recte & ad mentem Spiritus S. expli-
 canda esse haud immerito iudicamus. Nimirum nomen
 וְכֵן exponendum est de tali euentu, qui non quidem ra-
 tione Dei, cui cuncta, antequam fiant, sunt perspectissi-
 ma, sed ratione nostri est plane fortuitus, h. e. qui non
 respondet suis causis, prout nos quidem eramus opinati,
 imo qui plane iisdem est aduersus aut causis certis omni-

Lactant. III.
 Inst. c. 28.
 Augustin. de
 Ciu. Dei l. 4.
 c. 18. Gregor.
 Naz. orat in
 laudem D.
 Basil. Thomas
 3. contra Gen-
 tes. c. 93.

no carere videtur, nam nemo successus suos potest moderari pro naturali sua aptitudine aut arte aut fortitudine. Interim ipse casus & fortuna manifeste ostendit Dei providentiam, a qua dirigitur, sicut navis in mari fluctuans a nauclero, sine quo mergeretur millies. Sic enim pariter mundus hic ex tot casibus contrariis & pugnantis inter se conflatus, everteretur & rueret, ni a Deo regeretur, qui omnia illa in ordinem redigit, & discordia concordat, ac fortuita coordinat; Itaque ex omnibus harmoniam pulchram & quasi concentum quendam Musicum efficit. Quorsum vero haec disputamus? ut nimirum pateat, id quod supra adstruximus, omnino hoc sensu plus *Fortunae* quam *Virtuti* in condendo Romano imperio tribuendum esse. Id quod pluribus omnino exemplis ex historia desumptis demonstrari posset, cum vero iam alii ante nos hac de re fuisse egerint, ac in primis Plutarchus in libro iam saepe laudato de Fortuna Romanorum lectorem benevolam iam eo amandamus.

§. VII. In praesenti autem observamus, quod non tantum *Fortunae* in genere, sed in specie quoque *Fortunae* civitatis, siue Reip. Romanae & populi Romani Auctores crebro mentionem faciant. Sic Liuius plus simplici vice eidem imputat, quod Resp. Romana ex manifestis periculis, quae funestum interitum ipsi minitabantur, feliciter emerferit. Cum enim Porsena post Tarquinos Roma eiectos urbem obsidione cinxisset: Pons sublicius iter pene hostibus dedit ni vnus vir fuisset, Horatius Cocles: id munimentum illo die *Fortuna Urbis Romanae* habuit. Sic quoque l. 2. Ibi *Fortuna Populi Romani duos hostium exercitus baud minus pernicioso quam pertinaci certamine confecit*, & l. 7. *Nos deinde aut Fortuna Populi Romani aue nostra*

Liuius L.II.
c. 10.

nostra virtus expediet. Et quod prorsus simile est praesenti dicto lib. 35. *M. Claudius scripserat, Fortunae Populi Romani & militum virtuti gratiam habendam, quod res bene gesta esset.* Sic denique l. VI. *Quicquid superfuit, Fortuna populi Romani & militum etiam sine rectore stabilis virtus tutata est.* Nec minus illustria sunt hac de re loca Taciti. Ita enim Hist. l. 3. c. 46. *Affuit, inquit, ut saepe alias Fortuna Populi Romani, quae Mucianum viresque orientis illuc tulit, & l. IV. Hist. c. 57 Vocula militibus Fortunam Imperii & ultores Deos in memoriam revocat.* Quin etiam Cicero huius Fortunae saepe mentionem iniicit, ut enim ex pluribus vel pauca loca adducamus; Sic in oratione pro Milone: *Sed huius beneficii, inquit, gratiam, fortuna populi Romani & vestra felicitas & dii immortales sibi debere putant.* Nec non in oratione I. in Catilinam: *Potesne tibi huius vitae haec lux, Catilina, aut huius coeli Spiritus esse iucundus, cum scias, scelere ac furori tuo non mentem aliquam aut timorem tuum, sed FORTUNAM REIP. obsitisse.*

§. VIII. Quid igitur per hanc Fortunam Romani Scriptores intellexerint, iam paulo penitius inquirere in animum induximus. Nolumus autem in praesenti plurimorum & Oratorum & Poëtarum & aliorum Scriptorum dicta & testimonia de Fortuna coacervare. Quin potius id statim monere haud abs re fuerit, potentissimum id Numen creditum fuisse, id quod vel ex hoc Iuvenalis ver-

Iuvenal. Sat. X.

sed Te

Nos facimus, Fortuna, Deam coeloque locamus.

Quemadmodum etiam servus ille Pseudolus apud Plautum

C.

tum



tum testatur: *Centum doctorum hominum consilia haec de-
vincit Dea Fortuna, atque hoc verum est, perinde ut quis-
que Fortuna utitur, ita praecelet, atque exinde sapere eum
omnes dicimus.* Satis quoque notum est, Fortunam aris
atque templis Romae cultam fuisse: *ἀλλὰ τόγε, inquit,
Plutarchus, τῆς τύχης ἱερὰ πάμπολλα καὶ παλαιὰ καὶ
λαμπρὰ τιμαῖς πᾶσιν, ὡς ἐπὶ εἰπεῖν, ἐνίδρυται καὶ κατα-
μέμικται τοῖς ἐπιφανεστάτοις μέρεσι καὶ τόποις τῆς πόλεως.
Fortunae vero templa permulta antiqua & splendida omnis
generis fere honoribus posita sunt & permixta partibus ac
locis Romae potentissimis.* Et quamvis Plutarchus in se-
quentibus varias species Fortunae recenset, iis tamen
immorari ab instituto nostro alienum esse iudicamus.
Interim tamen plura, si placuerit, de hisce apud Rosinum
quoque legi possunt.

de Fortuna
Romanor. p.
m. 322.

Antiqu. Rom.
l. II. c. 16,

ad quaest.
LXXIII.

p. 135. n. 1.

§. IX. Quin potius id hic obseruatu dignum esse
iudicem, aliam Romae fuisse *Fortunam* publicam, aliam
Priuatam. In prioris tutela ipsam Remp. esse Romani
existimabant. Fit mentio huius *Fortunae* publicae in la-
pide antiquo Albae Iuliae, quem exhibet Boxhornius in
notis ad Plutarchi Quaestiones Romanas: FORTVNAE
PVBLICAE VITALIS V. S. L. M. Sicque etiam ap-
pellatur in fragmento Veteris Calendarii, quod legitur in
Gruteri Augusto opere inscriptionum humanarum. Quod
vero hanc *Fortunam publicam* cum Fortuna Communi
confundat Boxhornius, hac ex parte eius sententiae sub-
scribere non possumus. Verba eius haec sunt: Dii alii
communes alii singularum nationum proprii fuerunt.
Sic distinguit M. Furius Camillus ap. Liuium l. 5. Commu-
nium Deorum meminit Vetus Lapis, quem e Fuluii Vrsini
Sche-

Schedis descripsit Gruterus p. 3. augusti operis inscriptionum antiquarum. Dii publici appellantur in antiqui marmoris inscriptione p. 106. eiusdem operis n. 3. Inter Deos communes sive publicos praecipue Iupiter & Fortuna habebantur. Vnde & ille Deorum hominumque pater est appellatus. *Fortuna* autem omnipotens & PVBLICA appellatur in inscriptionibus antiquis, quod illa non aliter atque Iupiter ipse nihil a providentia sua curaque alienum habeat. Et in reliquis quidem recte Boxhornius, inter communes enim Deos FORTVNAM esse certum est, exhibetque *Fortunae Communis* signum Pantheum ex Fragmentis antiquis Quesnellianis Illustris Spanhemius ad Spanhem. P. 429. Iuliani Caesares, cum illa inscriptione: FORTVN. OMNIVM. GENTIVM. & DEOR. IVNIA. AVILLA. TVCH. DD. Quod vero fortunam publicam & communem & in genere publicos communesque Deos vnos eosdemque esse sibi persuadeat, illud prorsus approbare non possumus. Neque Boxhornium iuvat Locus Liuii allegatus, vbi M. Furius Camillus in ea oratione, qua consilia eorum, qui relicta Roma Veios migrandum putabant, grauiter reprehendit, in hunc modum loquitur: *Vrbem auspiciato inauguratoque habemus conditam. Nullus locus in ea non religionum Deorumque est plenus. Sacrificiis solemnibus non dies magis statim quam loca sunt, in quibus fiunt. Hos omnes Deos publicos priuatosque, Quirites deserturi estis? Sane aliud plane est, Deos publicos priuatis opponere, aliud Deos Communes ac publicos inter se confundere. Nimirum Dii communes dicebantur, qui Romanis cum aliis gentibus communes erant, & opponebantur peculiaribus, qui a singulis nationibus singulari & peculiari cultu afficie-*

C 2

ban-

bantur. Vnde quoque *Patrii* non semel in inscriptionibus antiquis appellari solent. Illi autem *peculiares* siue *patrii* Dii iterum subdividiebantur in *publicos* toti Reip. Romanae praesidentes & *privatos*, qui certis domibus ac familiis affixi erant. Sic enim singula Collegia & eandem artem professi suos *peculiares* Deos habuerunt. Singulis etiam familiis solemne & singulare sacrum fuit, quod itidem Fabius innuit ea oratione, de qua proxime diximus. *Quam, inquit, par vestrum factum, quod in obsidione nuper, in egregio adolescente Fabio non minore hostium, quam vestra admiratione conspectuum est, quum inter Gallica tela digressus ex arce sollemne Fabiae gentis in colle Quirinali obiit? An gentilitia sacra ne in bello quidem intermitteri, publica sacra & Romanos Deos etiam in pace deserui placet? & Pontificem flaminesque negligentiores publicarum religionum esse, quam priuatus in solemnitate gentis fuerit.* Ex quo loco satis liquido adparet, gentilitia & publica sacra, priuatas & publicas religiones, Deos Romanos & Fabiorum perspicuis verbis a se inuicem distingui.

§. X. Fortuna igitur publica in Scriptis Romanorum eam significat, quae peculiaris erat Reip. Romanae, quae in re auctorem habemus Ouidium:

L. V. Fastor.

*Nec Te praetereo populi Fortuna potentis
Publica, cui templum luce sequente datur.*

L. IV. Fastor.

Et alio loco:

*Qui dicit, quondam sacrata est valle Quirini
Hac Fortuna die publica verus erit.*

Quae publica Fortuna contradistinguitur ei, quae singulis propria erat, ac res eorum priuatas curabat, quam

idicov

Ἰδὼν vocat Plutarchus, cuius ipsa verba in hoc negotio au- Quaest. Rom. 73.
 dire haud abs re fuerit, πάντων δὲ μάλιτα Σεργίου ἔοικε τῆς τύ-
 χης ἐκδειάτας δύναμιν ἐπιφημισαὶ πράξεσιν ἀπάσους· ἔ γάρ
 μόνον τύχης εὐελπίδι, καὶ ἀποτροπαίῃ καὶ μελιχχίας καὶ πρω-
 τογενείας καὶ ἄρρεν, ἱερὰ κατεσκευάσεν: ἀλλ' ἐστὶν ἰδίας τύχης
 ἱερὸν i. e. *Omnium vero maxime videtur Servius Fortunae
 vim diuinam extulisse, omnibusque eam inscripsisse actioni-
 bus. Non enim Fortunae duntaxat bonae spei, auerruncae,
 blandae, primigeniae, ἔ virilis templa condidit, sed ἔ pro-
 priam fortunae aedes est. Vbi propriam Fortunam iidem
 priuatam Fortunam interpretatur Lilius Gyraldus in Hi-
 storia Deorum, suam enim vnicuique Fortunam adscribe-
 bebant. Sic fortuna Flauia in lapide antiquo, quae pro-
 pria Flauiorum. Sic fortuna Augusti, conseruatrice horreo-
 rum Galbianorum, Bona domestica dicitur in monumen-
 tis Romanis. Hinc Rutilius in Itinerario:*

At mea dilectis fortuna reuellit aris.

& Lucanus de Caesare:

- - Pariter tot regna tot urbes.

Fortunamque suam tacta tellure recepit.

Atque haec illa est, quam ἰδὼν hic vocat Plutarchus. Haec
 vnicuique nato statim adsignabatur & proprio nomine pri-
 migenia dicebatur, ex sententia Mathematicorum, qui ex
 genesi eam colligebant. Hinc iterum Boxhornius Praenesse Quaest. Rom. IV.
 effoscos lapides duos exhibet, quorum vterque Fortunae
 primigeniae Iouis pueri sit dedicatus, quam exinde potissi-
 mum nomen accepisse censet, quod primum natis opitulari
 eosque ad magna prouehere crederetur, hanc ob causam
 Ciceronem quoque asserere, Primigeniam Fortunam a gi-
 gnendo esse nominatam. Nec aliter primigeniam Iouis
 pueri Fortunam in his, quorum mentionem fecimus, mo-

Syntagmate
XVI.

L. V.

numentis accipi posse. Neminem enim ignorare, quantis cum periculis Iuppiter & in natiuitate sua, cum pater Saturnus eum deuorare statuisset, & in educatione fuerit colluctatus, & quomodo forte fortuna euaferit; quemadmodum Poëtae passim fabulantur, & sic Romani quoque credebant Primigeniae Fortunae numen ad promovendas dignitates & res magnas obtinendas plurimum conferre. Id quod Boxhornius alia inscriptione, quae l. c. legi potest, iterum comprobatur.

§. XI. Quin etiam illud adhuc antea, quam ad fortunam publicam regrediamur, de Fortuna priuata obseruamus, eam non tantum eandem fuisse cum Deo siue Genio in cuius tutela illi erant, sed quoque eandem ob causam τύχην & δαίμονα a Graecis, a Romanis autem Fortunam & Genium appellatam esse, eumque in Genesi sua homines fortiri existimabant, vnde & κλήρω τύχης idem Astrologis cum κλήρω δαίμονα notare solet. Quemadmodum enim Homerus Heroibus suos assignat Deos, vt Vlyssi Minervam, Achilli Thetidem, Paridi Venerem, Hectori Apollinem, ita etiam Imperatoribus, quos Heroas censebant, suos quoque tribuebant Romani Daemones. Daemones enim, quoties essent a maiorum gentium Diis distinguendi, illos praecipue appellabant, quibus hominum tutelam atque custodiam creditam existimabant. Φύλακας ἀνθρώπων vocat Hesiodus, qui 30000. huiusmodi Daemonum recenset. Quin etiam vnicuique homini talem Daemonein assignasse Platonicos satis notum est. Menandri hi sunt Senarii:

Ἄπαντι δαίμον ἀνδρὶ τῷ γεννωμένῳ

Ἄπαντός ἐστι μουσαγωγός τῆ βίης.

Vt iam multa alia loca de re in vulgus nota silentio praeterca-

rca-

eamus, ne scilicet otio nostro & lectorum patientia male abuti videamur. Haec ipsa sine dubio causa est, quod nomen δαίμων absolute sumti saepe pro *Fortuna* usurpent optimi Auctores, inprimis Poëtae, & *felicem* εὐδαίμονα, infelicem κακοδαίμονα nuncupent, quod scilicet consiliorum prosperos aut aduersos successus potentiae horum Daemonum aut imbecillitati acceptos ferrent. Ita felicem illum existimabant, cui datus fuerat magna praeditus potentia Daemon; infelicem contra cui imbecillus, & ab alterius cuiuscunque hominis Daemone superabilis. Pugnare enim credebant pro tutelis suis praefectos hominibus Daemonas, ut in scripturis legimus pugnare Angelos Iudaeorum atque Persarum, & in Homero Deos Graecorum Troianorumque tutelares.

Nota est historia de genii Augusti & Antonii, quam Plutarchus diuersis locis memoriae prodidit. Cum enim inter se familiarissime viverent assiduaque vterentur consuetudine Antonius & Caesar qui deinde Augustus fuit, & per ocium saepe numero certamen pilae, tesserarum atque etiam animalium ut coturnicum vel gallorum instituerent, semper victum Antonium discessisse, & quendam Amicorum, qui vaticinandi arte gloriaretur, libere dixisse Antonio & monuisse:

Ὁ ἄνθρωπε τί σοι πρᾶγμα πρὸς τῆτον ἐστὶ τὸν νεανίσκον, Φεῦγε αὐτὸν ἐνδοξότερον εἶ, πρῶτον εἶ, ἀρχαίσι πλειόνων, ἐνήθληταις πολέμοις, ἐμπειρεῖαι διαφέρεσσι· ἀλλ' ὁ σὸς δαίμων τὸν τέττον φοβεῖται καὶ ἡ τύχη σε κατ' ἐαυτὴν ἐστὶ μεγάλη, καὶ καυεῖ δὲ τὴν τέττον· ἐὰν μὴ μακρόν ἦ, ὀρχήσεται μεταβάσσει πρὸς αὐτόν.

Quid tibi, mi homo, rei est cum illo adolescente? quin tu eum fugis? gloria ei anteis, maior es natu, pluribus imperas, certamina bellica obiuisti, praestas experientia. Sed tuus genius genium istius metuit, Et tua Fortuna seorsim magna, eius fortunae adulatur, ad eumque nisi procul Te subducis

Plutarchus de
Fort. Roma-
nor. T. II. p. m.
519. & T. I. p.
m. 930.

ducis transibit. Ex quibus omnibus patet, ἀγαθὴν τύχην καὶ ἀγαθὴν δαίμονα vel pro iisdem vel saltem pro Diis con-
 tubernalibus apud veteres habita fuisse. Vnde quoque
 Poëma sic inchoavit Diagoras ille Atheus, sed antequam
 Deos esse negasset, καὶ οὐ δαίμονα καὶ τύχην πᾶσι καλεῖται.
ADaemone seu Genio & Fortuna sunt omnia, quemadmo-
 dum Sextus Empiricus aduersus Mathematicos lib. 8. com-
 memorauit. Plura autem hac de re apud Seldenum, Sal-
 masium atque Dodwellum si placuerit, videri pote-
 runt.

Selden. in no-
 tis ad marm.
 Oxon. p. 28.
 Salmaf. de an-
 nis Climact. p.
 124. Dodwelli
 Prael. II ad
 Spartian.
 Hadr. § 2. 699.

Ef. LXV. II.

§. XII. Quid quod haec duo, de quibus hactenus
 egimus, nimirum δαίμονα καὶ τύχην in ipsa Scriptura sacra
 nonnullis coniungi videantur, quorum sententiam hic
 adducere ab instituto nostro non alienum fuerit. Ni-
 mirum apud Esaiam sequentia verba leguntur: *Vos relin-*
quitis Iebouam, montis sanctitatis meae obliui, instruitis
 לַגַּגִּי laggad *mensam & impletis* לַמַּיִן lamni *libamen*, quae
 verba à LXX. interpretibus ita vertuntur ἐτοιμάζοντες τῷ
 Δαιμονίῳ τράπεζαν καὶ πληθύντες τῇ Τύχῃ κέραςμα. Vul-
 gata autem non aliter vertit: ac si fortuna & δαιμόνιον sint
 vnum idemque, utpote cuius verba ita fluant. *Qui po-*
nitis FORTTVNAE mensam & libatis super eam. Quem-

Clericus ad
 Genes. c. 30. v. 1

Rabbi Kimchi
 in Ef. 69.

admodum pari ratione Doctissimus Clericus לַגַּגִּי & לַמַּיִן sy-
 nonyma esse & Lunam siue Hecaten, cui Fortuna praesit,
 significare existimat. Et quod ad LXX. attinet, ex ipso-
 rum verbis satis elucescit, ipsos nihil aliud in mente ha-
 buisse, quam Daemone atque Fortunae haec sacra, quae
 hic loci reprehenduntur, facta fuisse. Vnde Kimchius ad
 hunc locum dicit: quod *Gad* significet stellam quandam
 felicem, quae natiuitati hominis praesit. Et antiqua om-
 nino inter Hebraeos traditio fuisse videtur, quod *Gad*
 signi-

significet bonam FORTVNAM id est Afrum atque GENIVM, qui praesit felici natiuitati. Affirmant quoque, hoc vocabulum à Chaldaeis & Arabibus, qui omni tempore Astrologiam magni aestimauerint, ad ipsos deriuatum esse. Quo sensu etiam illa verba interpretantur, quae c. XXX. v. ii. leguntur, vbi Lea, postquam Zilpham ancillam Viro Concubinam dederat, & haec grauida facta filium pepererat, בגד *bagad*, inquit. Vbi quidem recentiores vertunt *venit turma*, quae interpretatio quoque est verosimillima, quoniam hic recens natus filius augebat numerum liberorum ipsius. Interim tamen prisca interpretes ita reddunt, *bona fortuna venit* אמת מלה טובה. Sic enim vertit vetus Paraphrastes Ionathan. Ita iuxta Hebraeos GAD est astrum siue constellatio cum genio coniuncta, quae felici natiuitati praesit eandemque efficiat. Iudaei enim haec superstitiones a vicinis gentibus mutuo accepisse videntur. Et hoc certissimum est, quod vanitatibus Astrologiae mirum in modum addicti fuerint. Admodum igitur probabile est, Israëlitas huic bonae Fortunae mensam varii generis epulis refertam instruxisse, & Hieronymus in Aegypto quoque hanc superstitionem deprehendit. *Est autem*, inquit, *in cunctis urbibus & maxime in Aegypto, & in Alexandria, idololatriae vetus consuetudo, ut ultimo die anni, & mensis eorum, qui extremus est, ponant mensam refertam varii generis epulis & poculum misto mixtum, vel praeteriti anni vel futuri felicitatem aspicientes. Hoc autem faciebant & Israëlitae, omnium simulacrorum portenta venerantes, & nequaquam altari vitimas, sed huiusmodi mensae liba fundebant. Quod vero ad Meni attinet, cuius iidem in loco Esaiæ allegato mentio facta fuit, Viri Doctissimi verosimile esse existimant*

Hieronymus
in Esaiam
c. 65.

stimant, per *Meni* aequae ac per *Gad* intelligi vnam stellarum, quam Astrologi natiuitati praefecerunt, & quod simul per vtrumque hoc nomen genii hisce stellis affixi inuuantur, qui vitam eorum gubernent, quorum natiuitati praesuerunt. Quin etiam stellas nonnulli indicare volunt, quae natiuitati hominum praecerant, & *Fortunae* quidem sortem tribuebant Lunae, vt *Daemonis* sortem Soli, & huic res ad animum pertinentes, illi res corporeas curae esse putabant. Sic enim Vettius Valens a Seldeno citatus libro IV. Anthologicon, cap. 5. quod est *περι χρονον διαρθεσεως απο κληρο τυχης και δαμων*, docet sortem *Fortunae* & *Daemonis* significare Solem & Lunam, Lunam quippe esse *Fortunam* in potestate habentem corpus & spiritum; solem vero esse *mentem* & *Daemonem* animam ad res gerendas excitantem & moventem. Quod aliis praeterea testimoniis tum ex Macrobio, tum ex eodem Valente de promptis Seldenus loco iam citato vterius demonstrat. Et profecto admodum ingeniosa est Doctissimi Huetii coniectura, cui verosimile est, solem, qui Mens est & Daemon, seu Genius, voce *Meni* significari ex voce *μεν* quod est numerare, quia Sol temporibus numerandis & diuidendis praestet. Quod autem Sol *Daemon* appellatus fuerit, ex Macrobio satis liquido constat. *Argumentum Caducei*, inquit, ad genituram quoque hominum, quae *genesis* appellatur, Aegyptii protendunt, Deos praesites homini nascenti quatuor adesse memorantes, *δαμων*, *τυχην*, *εσπαρα*, *αυτογενην* & duos priores Solem & Lunam intelligi volunt; quod sol auctor spiritus, caloris ac luminis, humanae vitae genitor ac custos est, & ideo nascentis *Daemon*, id est, Deus creditur: Luna *τυχην*, quia corporum praesul est, quae fortuitorum varietate inelantur. Quemadmodum autem

Selden. l.c.

Huetius in Originem T. 14 in Ioannem,

Macrobi. L. I. Saturn. c. 19.

tem pro Luna, sortem ipsi tributam, *Fortunam* nimirum Propheta expressit; ita ad significandum Solem, sortem Soli deputatam, *Daemonem* scilicet seu *Meni* notauit. Ex *Meni* autem Hebraico, pergit Huetius obseruare, quod prodierit Graecum *μήν*, Daemon, seu Genius, qui & Sol. Vnde *μήνες*, AEolice, *μῆνες*, hinc latinum *Manes* qui & Genii, Seruius in 6. AEn. v. 743. *Ergo manes Genios dicit, quos cum vita fortimur.* Hinc dicti & *μήνες*, *Menses*, quos curculis suis Sol determinat, quasi sint varii soles & Sol, puta Ianuarii, alius sit a Sole Iunii. Ex quibus omnibus satis luculenter apparet, probabilem admodum eorum esse sententiam, qui per *Gad* Fortunam per *Meni* autem Daemonium intelligunt, qua ratione a LXX quaeque haec verba reddita fuisse Hieronymus testatur. Vnde quoque nonnulli colligunt corruptam esse vulgatam loci huius lectionem, vbi *δαίμόνιον* praepnatur, *τύχην* autem subsequatur, cum tamen Hieronymus inuerso ordine LXX ita reddidisse dicat: *Paratis Fortunae mensam & impletis Daemoni poculum.* Quamuis Dodwello hoc displiceat, & vulgatam lectionem ex hoc fundamento defendat, quod *Textus* vetustissimus, quem cum Procopio ex Origeniano Codice edidit Curterius, ordinem eundem retineat cum vulgatis, quem etiam confirmet Codex Vetustissimus Varicanus & quoque Alexandrinus Bibliothecae Iacobeae. Dotissimus Iuricus quoque in hac opinione constitutus est, prius vocabulum *Gad* solem atque *δαίμόνιον*, Posterius vero *Meni* Lunam & *τύχην*, non obstantibus probabilibus argumentis, pro contraria sententia adductis, significare, & hoc pacto non opus fore, vt aliquam mutationem in versione LXX virali contigisse supponamus. Quem in finem Iuricus varia argumenta adducit. Sed quoquo

ad Ec. 65.

Dodwell. prael. II. ad Spartiani Hadrianum §. IV. p. 76.

Iuricus Histoire Critique P. IV. c. 1 p. 701.



modo haec res se se habeat, nobis sufficit, *Fortunam*, siue per *Gad* siue per *Meni* hic loci innuatur, nil aliud significare quam talem genium, in cuius tutela ii, quibus assignatus fuit, vixerunt.

§. XIII. Posteaquam igitur vidimus, *Fortunam* priuatorum eandem fuisse cum Deo, in cuius tutela illi erant; iam *Fortunam* publicam quoque eandem cum Deo, in cuius tutela Roma posita erat, fuisse demonstrabimus. Nimirum eadem de *Fortuna* siue Genio publico vigeat superstitio, quae de priuato, vt proinde nominum quoque eandem rationem fuisse certum sit. Nimirum, teste Macrobio, constat, omnes vrbes in alicuius Dei esse tutela, cuius antiqui moris causam simul reddit Coelius Rhodiginus. *Veteres*, inquit, *non contenti manna vrbis altius tauriusque substruxisse, etiam Numinis alicuius potentiae consecratam volebant, Et olim heroes semideosque urbium praefecerunt curae, vt illorum obteclae prouallataeque praesidiis humanos casus reclinarent facilius, quoniam non munimentis modo, sed magis multo Deorum indigeamus ope.* Quid quod eadem opinio ad Hebraeos perualisse videatur, vbi enim Iosua & Caleb populum perterrefactum erigere conantes ita loquuntur: *Ne duntaxat in Iebouam rebelles sitis, neque eius regionis incolas timeatis, eos panis instar comedemus, Umbra eorum ab iis recessit:* Haec vltima verba auctor Phesictae ita explicat: Angelus, qui constitutus erat super eos, quiue eos protegebat, ab iis recessit. Nam Deum, ait, benedictum non sumere poenas de natione, donec deiecerit principem eius de coelo, sicut dicitur: *animaduertet Dominus in exercitum sublimem in sublimi.* Quo ea quoque referri possunt, quae apud prophetam Danielem de angelo contra alium angelum Principem Perfarum, qui ipsi contrarius

Macrobi. Saturn. l. III. c. 9

Coelius Rhodigin. l. XXVI c. 32. p. m. 1478.

Num. c. XIV,

trarius erat, militaturo leguntur vbi varii interpretes Principem Persiae exponunt de angelo bono, Persarum apud Deum patrono, & cui tutela Persiae demandata fuerit, deque huius pugna cum Patrono Iudaeorum, quomodo videlicet vterque horum sua coram Deo produxerit argumenta, tum captiuitatis continuandae, tum soluendae, quae tamen confligendi ratio omni caruerit acerbitate, soli Deo decernenti se submittentibus vtrisque concorditerque interea inuicem nihilominus conspirantibus, quae interpretatio ex veteribus Theodoretto, Gregorio M. & praeter multos alios, quos allegare super sedemus, Hieronymo quoque placuit, qui in hunc finem allegat dictum Deut. XXXII. v. 8. *Quando diuidebat Altissimus gentes, statuit terminos gentium iuxta numerum angelorum Dei.* Vbi deceptus haud dubie fuit Pater ille eruditissimus a LXX, qui vertunt κατ' ἀριθμὸν ἀγγέλων Θεῶν, cum in fontibus sit expresse: *juxta numerum vel pro ratione filiorum Israël*, videnturque LXX. legisse אֱלֹהֵי שָׁמַיִם vel אֱלֹהֵי אֲרָצוֹת & forte literae שָׁמַיִם erant in eorum codice deletae aut oculos fugiebant. Imo eiusdem sententiae est etiam Iacchiades Iudaeus, qui LXX populis in terra dicit respondere LXX principes in coelo: qua ratione Iudaei principem habeant, vnum videlicet Michaëlem, cum hoc tamen discrimine, quod populorum Angeli sint ipsi eorum Dii & instar Deorum operentur in eos; verum Israël regatur providentia Dei, Michaële non nisi eius iussu operante, a quo non multum discrepat R. Saadia existimans: Angelum Persiae coram Deo benedicto contendisse cum Michaële, num Darius imperare debeat amplius an deponi &c. Ex recentioribus quoque hanc de angelo bono sententiam Hackspanius verosimiliorem ea censet, quae a nostris plerisque interpretibus & ipso quoque Lu-

Gregor. M.
l. 17. moral.
c. 8. Hieron.
ad h. l.

Hackspanius
Part. II. Notar.
Philol. p. 891.

thero recepta fuit, qui sermonem esse de angelo malo siue Daemone quodam insigni praeualente in aula Persica contendunt. Hackspanius quidem ea nititur ratione, quod non probabile sit, Deum concedere Satanae, vt integro regno suo arbitrato praesit tantaque potentia, vt bonus angelus ipsi resistere non possit, nisi alterius quoque opera utatur. Id quod tamen nos in medio relinquimus, pro instituti nostri ratione satis habentes, quod ex hisce manifestum sit, apud Hebraeos quoque hanc opinionem, angelis nimirum singulis attributas esse gentes regendas, mirum in modum invaluissē.

§. XIV. Nec tantum apud Iudæos verum etiam apud paganos hanc opinionem inualuisse deprehendimus. sane praeter ea iam supra a nobis adducta plura testimonia afferri possent. Sit autem modus in rebus. interim tamen silentio hic praeterire non possumus insignem locum Iamblichi, de Mysteriis Aegypt. Sect. V. c. 25. vbi affirmat: per singulas gentes, quae sunt in terra, electum esse communem quempiam praesidem nimirum Angelum a Deo, ad quem locum ea, quae Th. Gale congescit, videri possunt. Quemadmodum vero, ceu supra vidimus, hominibus nascentibus fortunam s. genium dari credebant, ita etiam vrbes in fundatione sua eum sortiri sibi persuasere, proptereaque figuram caeli fortunatam expectabant, quae κλήρον τύχης ἐργασθῆς h. e. sortitionem boni genii polliceretur: quem variis superstitionis ritibus allectum statuae cuidam, quam in loco excelssiore collocare siveuere, alligabant, vt vrbs rebus praecesset. Et Ritus teste Ioh. Gregorio hi erant: Virgo pura offerebatur in sacrificium & statua virginis erecta nouo & secreto nomine inscripta: huic sacrificabant & haec omnia peracta erant δι ἀρχιερέως καὶ τελεσθῆς

Io. Gregor. in
obseru. sacris
c. VII.

εἰς

εἰς τύχην καὶ ἀποναθαρσιμὸν τῆς πόλεως. Dicta enim erat haec statua: *Fortuna Civitatis*. Ita Seleucus cum Antiochiam conderet θυσίαν ποιήσας κέρον ὀνόματι Ἀιμάθην, σήσας ἀνδρείαντος σύλην χαλικὴν τῆς σφαιρισθείσης κέρας τύχην τῆ πόλεως, εὐθὺς ποιήσας ἀντὶ τῆ τύχης θυσίαν. Quin etiam Io. Malala in Chronico tradit, inter ritus illos in natalitia urbium dedicatione non vnius, sed plurium virginum maturationem fuisse, imo ipsas illas virgines matatas genios urbium fuisse, quae sententia exinde forsan tanto probabilior reddi queat, quod fortuna & genius urbium virgineo habitu representetur.

Io. Antioch.
in Arch. Baroc.

§. XV. Vtunque vero sit, id ad nostrum negotium praecipue pertinet, hunc urbium genium à Graecis quoque *τύχην* appellatam fuisse & templa, in quibus colebatur, *τυχεῖαι*, ut patet ex iis, quae ad Eusebii Hist. Eccl. observavit Valefius, qui plura in eam rem Veterum loca adduxit. Sic enim Tycheum Gazae commemorare Marcum in vita Porphyrii & Tychei Alexandriae fieri mentionem in codice Theodosii & apud Libanium in descriptionibus quas doctissimus Leo Allatius edidit. Templum quoque Genii Antiochenium nominari a Iuliano in Misopogone & ab Ammiano Marcellino. Imo & Caesareae in Capadocia Genium suum templum habuisse, de quo Gregor. Naz. in inuectiva 1. in Iulian. p. 91. & in orat. 19. p. 309. agat. quae iterum satis confirmant esse eandem fortunam publicam & genium publicum. *Τύχη* enim cui respondet latinum FORTVNA Daemonem urbis praesidem haud dubie isto sensu notat. Cum vero *δαίμων* & *τύχη* vnum sint idemque, siue de priuatis, siue de Rep. sermo sit, cur respondententes iis voces, quas vnum idemque esse si de priuatis agatur, omnes fatentur, non sint vnum etiam vbi de Rep.

Valef. ad Euf.
Hist. Eccl. L. 8.
p. 184.

Rep. sermo est, satis perspicere non possum. Hinc iure merito miramur, quid in mentem venerit doctissimo Valerio loco paulo ante citato Gregorii Nazianzeni interpretes reprehendenti, quod τύχην fortunam verterint, ubi rectius Genium debuissent interpretari, quasi genius & fortuna non vnum idemque essent, quae nostra sententia exinde quoque egregie confirmatur, quod Ammianus Marcellinus parrallelam profus historiam ei, quam refert Suetonius, afferens Genium publicum appellet, quem fortunam Suetonius vocauerat, quemadmodum ex collatione duorum locorum satis elucescit.

L. XX. c. 5.

in Galba c. 4.

§. XVI. Ex haecenus igitur disputatis per se constare existimem, istum Genium publicum siue Deum tutelarem respici, quoties Romani Scriptorum *Fortunae Populi Romani* faciunt mentionem. Equidem plures Deos tutelares Romani habuisse videntur, & quinam illi fuerint diuersae sunt auctorum sententiae. Macrobius ex variis varia collegit. A Nigidio enim Neptunum & Apollinem, qui quondam muros Troianis fecisse dicantur & quos in Italiam aduexerit Aeneas, pro Diis tutelaribus venditari Macrobius loco allegato testatur. Eosdem velle & Conelium Labeonem in libro de Diis penatibus idem affirmat & Maronem, cum dicit:

Macr. Saturn.
l. 3. c. 8.

Virg. lib. III.
Aeneid, 118.
119.

*Sic fatus, meritos aris maectabat honores,
Taurum Neptuno, taurum tibi pulcher Apollo.*

Refert praeterea aliorum quorundam auctorum opinionem, quibuscum ipse mauult statuere, Iouem, Iunonem ac Minervam Deos penates existere. Quod inprimis exinde confirmare satagit, quod Tarquinius Demarathi Corinthii filius, Samothraciis religionibus mystice imbutus vno templo ac sub eodem tecto numina memorata coniun-

iunxerit. Sunt quoque alii, qui existimant, simulacra
 Troianorum Deorum, siue ipsum Palladium Troia adue-
 ctum in penitissimis Vestae Mineruaeque aedibus asserua-
 tum Penatium nomine apud Romanos cultum fuisse, qua
 de re Alexander ab Alexandro & Dion. Halicarn. testimo-
 nium perhibent. sed quamuis vtraque manu conceda-
 mus, multos Deos tutelares penes Romanos fuisse, hoc ta-
 men sententiae nostrae nihil officere certissime persuasi
 sumus. Nam inter illos Deos tutelares, quorum hactenus
 mentionem iniecinus, Romanos Deum quendam tutela-
 rem *νοτ' εφορν* sic dictum tanquam praesidem Urbis
 principem, cui prae ceteris vrbs orbis Domina Roma cu-
 rae sit, habuisse nemo temere inficias ibit, qui vel vnus
 Macrobbi dicta de hoc Deo paulo penitius secum reputa-
 uerit, vbi scilicet disertis verbis docet, tutelaris illius Dei
 nomen, nonnullis antiquorum, licet inter se dissidentium
 libris insitum fuisse. Alios enim Iouem credidisse affir-
 mat: alios Lunam: alios Angeronam, quae digito ad os
 admoto silentium denunciet: alios denique (quorum fi-
 des Macrobbio videtur firmior) Opem Consiuiam dixisse
 professus est. Sed quicquid huius sit, Istum genium publi-
 cum siue Deum tutelarem *εφορνα* per FORTVNAM innui
 ex iis, quae huc vsque attulimus, satis certum esse videtur,
 Atque haec FORTVNA siue genius Urbis est, cuius nomen
 pariter ac sexum studiose adeo occultabant Romani, ne sci-
 licet ab hostibus nomine compellatus posset euocari.
 Nam solemne erat Romanis, cum urbem aliquam obsi-
 derent, certo Carmine certisque verbis tutelarem Deum
 illinc euocare. Formulam eius, qua in obsidione Car-
 thaginis vsi Romani, hanc ex Sammonico & Furio adducit
 Macrobbius: *Si Deus, si Dea est, cui populus ciuitasque Car-*
E
tha-

Al. ab A. G. D.
 l. v. c. 12. Dio-
 nyf. Halic. A.
 R. l. i. p. m. 53.

Macr. Lib. III.
 Saturn. c. 9.

thaginiensis in tutela est, teque maxime illum, qui urbis huius populique tutelam recepisti, precor venerorque, veniamque a vobis peto, ut vos populum civitatemque Carthaginensium deseratis: loca, templa, sacra, urbemque eorum relinquatis, absque his abeat: eique populo civitatisque metum, formidinem, obliuionem iniiciatis: proditique Romam ad me, meosque veniatis: nostraque vobis loca, templa, sacra, urbs acceptior probatiorque sit: mihi quoque populoque Romano, militibusque meis praepositi sitis, ut sciamus intelligamusque. si ita feceritis, voueo vobis templa ludosque facturum. De quo solemnem euocationis ritum plura legi possunt apud Celeberrimum Dominum Cocceium in dissertatione *de Euocatione Sacrorum*. Propterea igitur, teste Macrobio, Romani & Deum, in cuius tutela urbs Roma est, & ipsius urbis Latinum nomen ignotum esse voluerunt, cauentes ne quod saepe aduersus vrbes hostium fecisse se nouerant, ipsi quoque hostili euocatione paterentur: si tutelae suae nomen diuulgaretur. Eandem rationem occultati nominis atque sexus Dei tutelarum Romanorum Plinius atque Plutarchus reddunt. Vnde recte Harduinus ad Plinii locum citatum veterem apud Gruterum inscriptionem, quae extat p. 7. SIVE. DEO. SIVE. DEAE. C. TER. DEXTER. explicat.

Plinius H. N.
L. 28. Sect. 4.
Plur. Quaeft.
Rom. LX.

Florus I. IV.
c. 3.

§. XVII. Atque eadem est Fortuna illa publica, de qua loquimur, quae postea in Imperatorum cubiculum commigravit, postquam scilicet, ut Florus loquitur, *imperium Romanum ad eos transtulit*. Nimirum eadem illorum tempore dicta fuit FORTVNA & genius Caesaris, per quam jurare etiam mos erat, quae FORTVNA antea publica & Genius publicus dicebatur. Atque hinc factum est, ut inter insignia Imperii Fortuna aurea esset penes illum

lum, qui potestatem Augusteam primam haberet atque omnium absolutissimam, quae sub vitae eius finem ad successorem transferebatur. Ita Fortunam auream moribundus *Pius*, quae in cubiculo Principum poni solebat, ad Marcum transferri iussit: sic & Severus cum duos filios pares vellet in potestate Augustea omnium summa, etiam *Fortunam*, quam *Regiam* appellat huius vitae Auctor, quae comitari, inquit, Principes & in cubiculis poni solebat, geminare statuerat. Sed quum videret se perurgeri hora mortis, iussisse fertur ut alternis diebus apud Filios Imperatores in cubiculis *Fortuna* poneretur. Hinc factum etiam ut *Fortunam Augustorum*, *Fortunam Principis*, *Felicitatem Augustorum* in nummis post Remp. collapsam toties signatam inueniamus. Ob hanc *Fortunam publicam*, quae cum imperio Principibus se ipsam quasi dicasse videbatur, titulus *Felicitis*, a *τύχη* *Ευτυχῆς*, in titulis Augustorum a temporibus Commodi vsque visitatus fuit. Ipsi autem *Fortunae publicae* in cubiculum Imperatorum translatae superstitio a Galbae temporibus verosimiliter repetenda esse videtur, de illo enim, cuius historiae iam supra aliquam iniecimus mentionem, refert Suetonius, eum sumta virili toga somniasse fortunam dicentem, stare se ante fores defessam: & nisi ocyus reciperetur, cuiusque obuiio prae- dae futuram. Utque euigilauit, aperto atrio simulacrum aeneum Deae cubitali maius iuxta limen inuenisse, idque gremio suo Tusculum, vbi aestiuare consueuerat, aeu- xisse: & in parte aedium consecratum, menstruis deinceps supplicationibus & peruigilio anniuersario coluisse. Cui prorsus similis est narratio Ammiani Marcellini de Iuliano, illi enim nocte, quae praecesserat eius ad Augusti fastigium euectionem, aliquis visus dicitur ut formari genius publi-

Capitolin. in
vita Antonini
Pii c. 12. & in
vita Antonini
Philosophi c. 7
Spartianus in
vita Seueri
c. 25.

Sueton. in vita
Galbae c. 4.

Ammianus L.
XX. c. 5.

publicus solet, qui eum ad suscipiendos illos honores fuerit hortatus. Tantum.

COROLLARIA.

- I. Datur omnino noticia Dei insita, quamuis cum Renato des Cartes neutiquam sentiamus, ideam supremi numinis vniciue hominum esse innatam.
- II. Quin etiam hoc argumentum Cartesianorum ab idea de summo numine nobis innata desumptum ficulneum atque stramineum esse, & multo firmitus ex contemplatione Creaturarum existentiam Dei probari posse existimamus.
- III. Princeps subditos ad religionem nec potest nec debet cogere.
- IV. Hinc plures in Rep. religiones tolerari saepe Reip. salus exigit.
- V. Haereticorum libri non simpliciter sunt prohibendi, sed eruditis eorum lectio commendanda.
- VI. Polygamia repugnat primaeuae institutioni matrimonii & Iuri diuino positio vniversalis.
- VII. Dantur Athei Theoretici.



00 A 6280

ULB Halle 3
002 828 09X





Sb.

WIP

reha







79

A. & P.
DE
FORTVNA POPVLI
ROMANI

CONSENSV INCLVTI PHILOSO-
PHORVM COLLEGII

S V B P R A E S I D I O

M. PHILIPPI OLEARII,
S. THEOL. BACCAL. ET COLLEGII PHILOS.
ASSESSORIS,

IN ACADEMIA PATRIA

PVBlice DISSERT

IOH. AVGVSTVS NEVBER, LIPSIENS.

PHILOS. ET IVRISVTRIVSQVE CVLTOR.

AD D. XIV. IANVAR.

L I P S I A E,
LITERIS IMMANVELIS TITII.
c13 Idcc XIII.